



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine  
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et  
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac  
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac  
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres  
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim  
Consideratum

**Gibert, Jean-Pierre**

**Coloniæ Allobrogum, 1735**

§.II. Quæ sit Conciliorum Particularium divisio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)



2. In *Fine*. Convocatur enim, vel ad lites, aliaſve turbas terminandas; vel ad exortas, circa fidem, vel mores, dubia ſolvenda; vel ad eorum ſolutionem, à Superiore factam, recipiendam; vel demùm, ad abuſus tollendos.

3. In *Poteſtate Leges Eccleſiaſticas condendi*. Plerique enim Eccleſiæ Canones ſunt à Conciliis Particularibus conditi.

4. *Circà ipſius Decreta interpretandi Jus*. Pertinet enim potiſſimum ad ipſius Convocatores, & Præſidem.

5. *Judicium utriuſque circà facta, eſt reformabile*.

6. *Utrique Presbyteri intereſſe poſſunt*.

7. *Quùm Canones ſunt contrarii, poſterior priorem corrigit*. C. I. de *Cognat. Spirit.*

**RATIO.** Regula, quæ ſuprà dictæ ſunt convenientiæ verè ſunt notandæ, utpotè deſumptæ ex his, quæ Conciliis ſubſtantialia ſunt: cætera, quæ adjici poſſunt, non ſunt notatu digna; utpotè ab accidentibus petita: nempe, ex circumſtantiis Temporum, Locorum, & Perſonarum.

## §. II.

*Quæ ſit Conciliorum Particularium diviſio.*

## REGULA.

Tot ſunt ſpecies Conciliorum Particularium, quot ſunt Dignitates Episcopales, Papatui inferiores, quæ ſubditos ſibi habent Episcopos.

**RATIO.** Quælibet hujusmodi dignitas ſubditos ſibi Episcopos convocare poteſt. Hinc ſequitur, tres tantùm eſſe ſpecies Conciliorum Particularium, nempe Patriarchalium, Primatialium, & Archiepiscopalia, ſivè Provincialium: cùm tres tantùm ſint Papatui inferiores Dignitates Episcopales, quæ ſubditos ſibi habeant Episcopos: nempe, Patriarchatus, Primatia, & Archiepiscopatus. Nota obiter: Concilia Archiepiscopalia vulgò dici Provincialia, quia Archiepiscopii diſtrictus dicitur Provincia.

Quæres, quæ in Claſſe ponamus Concilia Nationalia, ſivè, quæ conſtant ex Episcopis totius alicujus Nationis?

Reſpondemus: Nos illa collocare, inter Primatialia, ſi tota Natio ſit ſub uno Primatè; ſi verò ſub pluribus, inter Patriarchalia: idque, quia, qui his Conciliis præſunt, vices gerunt Patriarcharum; cùm ſubditos ſibi, ut præſidibus, habeant Primates. Si verò Natio non habeat Primatem, nec Patriarcham, cui ſubſit tota, Concilium illius Nationis ad nullam illorum ſpeciem ſpectabit: ſed ſi habeat plures Primates, qui præſint Concilio, munere Patriarchæ fungetur; cùm plures ſub ſe habiturus ſit Primates, quod tempus, quo duraturum erit Concilium, iſtudque in illo, ſimile erit Concilio Patriarchali.

## §. III.

*Cujus ſit Concilia Particularia convocare iſque præſeſſe.*

## REGULA I.

Quælibet Particularium Conciliorum ſpecies, ab ea convocatur dignitate, à qua denominatur, eamque habet Præſidem, exceptis caſibus de quibus Regula ſubſequens.

**RATIO.** Ejuſdem eſt convocare Concilia iſque præſidere: utrumque autem convenit convocatorum Superiori, qui ergà convocatos in Conciliis Particularibus eſt ipſa dignitas, à qua denominatur.

In *GALLIA*, quibuſdam in caſibus, convocantur Concilia Provincialia Metropolitanæ Vicarius, quibus

tamen non præſidet, ſed antiquior Episcopus. Inſigne exemplum habes, in Concilio *Narbonenſi*, anni 1551. convocati à Vicario Generali Archiepiscopi *Narbonenſis*; idque etiam in illo ſingulare, quòd nullus Episcopus illi adfuit, ſed ſoli Suffraganeorum & Archiepiscopi Vicarii Generales.

Hinc Concilia Patriarchalia, à Patriarcha convocantur, iſque præſidet; & ſic de cæteris.

## REGULA II.

Non alii caſus excipiuntur à Regula præcedente, quàm iſti.

1. Quando vacat Sedes.

2. Cùm vacare juſta de cauſa creditur.

3. Quando Superioris Jurisdictionis aliqua ligatur Censura.

4. Quando mente captus eſt, aut corpore captivus detinetur

Quæres: Cujus ſit Jus convocandi & præſidendi, in iſtis caſibus.

Reſpondetur, illud pertinere tam juxta antiquos Canones, quàm juxta novos, Episcopo antiquiori. C. 2. *SESS. XXIV. de ref. CONC. BASILIENS. SESS. XX.*

## §. IV.

*Quæ ſit Conciliorum Particularium autoritas, & quanti faciendæ?*

## REGULA I.

Ea eſt Conciliorum Particularium autoritas, quæ Eccleſiarum quas repræſentant.

**RATIO.** Non ſunt illa Concilia aliud, quàm iſta Eccleſiæ congregata.

Hinc Concilium, v. gr. Patriarchale, tantæ eſt autoritatis, quantæ Eccleſia Patriarchalis, quam repræſentat: ideòque, quo magis extenditur hæc Eccleſia, plureſque habet ſub ſe Episcopos, eò major eſt iſtius Concilii autoritas. Idem dic de Primatiali, & de Archiepiscopali, ſivè Provinciali.

## REGULA II.

Cæteris paribus, pluris faciendæ eſt Concilii Particularis quantumvis minimi, autoritas, quàm Doctõris privati, quantumvis maximi.

**RATIO.** Conciliorum Particularium minimum, tribus, aut quatuor ſaltem Episcopis componitur: plurium autem Episcoporum ſententia, Doctõris cujuſvis privati opinioni prævalet; cæteris tamen paribus. Nam, ſi iſtius ſententia validioribus nitentur argumentis, præferenda eſſet.

## REGULA III.

Decreta Concilii Particularis, quamvis à Papa confirmati, non ligant extrà Eccleſiam, quam repræſentat; niſi ab aliis recipiatur, vel Papa ad omnes alias extendat, & ipſæ illa recipiant.

**RATIO.** Patres iſtius Concilii non habent Jurisdictionem in alias Eccleſias; ideòque illis Legem ponere nequeunt: Papa confirmans Decreta, eorum vim auget, ſed non extendit. Dùm Decreta hæc, ab aliis Eccleſiis recipiuntur, ſunt quodammodò illarum Decreta, ſicut qui adoptatur, ſit adoptatus filius. Eccleſiæ cujuſvis Legi Particulari, vim Legis Universalis tribuere poteſt Papa, ſicut Princeps, ex Statuto alicujus Provinciæ, Legem totius Regni efficere poteſt. Sed ad hoc neceſſarium eſt, ut confirmativa Papæ Conſtitutio, illiſque ad alias Eccleſias extenſiva, ab iſtis acceptetur, ut diceſtur, dùm de acceptatione Legum ſermo fiet.

## §. V.